



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Libellvs De Angelo Cvstode R. P. Francisci Albertini Soc.  
Iesv Theologi**

**Albertini, Francesco**

**Coloniae Agrippinae, M.D.C.XIV**

Interpretis Ad Angelicam Sodalitatem Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46785](#)

INTERPRETIS  
AD ANGELICAM  
SODALITATEM  
PRAEFATIO.



VANQVM ea est ex vnâ par-  
te cœlestium spirituum potestas  
ac dignitas, vt nullis ( humanæ  
dicam? an etiam Angelicæ? ) e-  
loquentiæ viribus explicari queat, ideoque  
tacitâ admiratione potius, quâm tenui sermo-  
ne veneranda esset, cum ineffabilibus mysteri-  
is, inquit Gregorius nulla res magis quadret,  
quâm silentium: Quia tamen eorundem, quæ  
in mortales collocant, beneficia, contrariâ  
methodo celebrari postulant; & quo fideliùs  
prædicantur, hoc de die in diem sensibiliùs in-  
crebrescunt; non inanem operam me positurū  
credidi, si præsentem libellum, id est medul-  
lām selectorum aliquot concionum R. P.  
Francisci Albertini, quas de Angelis con-  
fecit ex peregrinâ in Latinam linguam con-  
uerterem.

Tantò autem ad huiusmodi lucubrationem  
paratius accessi, quantò sanctior eluxit zelus  
hinc quidem Beatissimi Pontificis nostri Pauli

(:) 3 V. qui

P R A E F A T I O.

V. qui nuper proprio instituto officio ac Mis-  
sa Kalendis Octobr. annuè celebrandâ Angelî  
Custodis memoriam fœlicissimè renouauit:  
Inde verò Angelicæ congregationis vestræ,  
quæ compluribus abhinc annis simile Enchi-  
ridion idcirco requisiuit, ne tenera ado-  
lescentiorum ingenia, quorum inexplebilis  
cupido est cœlestium mentium conditiones  
resciscendi, cogerentur mare Scripturarum  
adire, adeoq; angusti oris vascula, vt cum Fa-  
bio Quintiliano loquar, superfusa humoris  
copia obruerentur.

Ac sanè si in sacri Codicis lectione virorū  
etiam literatorum ingenia deficiunt, quis iuuen-  
culis hisce suadeat, vt Custodum suorū natu-  
ram inuestigare volétes inaccessibilē Scriptu-  
ræ montē tentent; ac non iustius exēplo Moy-  
sis imbecillitati eorum per humanæ interpre-  
tationis methodū condescendat? Si diuinæ Li-  
teræ ab ipso earū Authore solidi panis voca-  
bulo designari solent, num quis illas, priusquā  
fregerit molueritq; lactentib⁹ adhuc paruulis  
Christi apponat? Nemo suspicor, nisi desipit.

Hæc igitur ratio, cur præsentem tractatulū  
stylo nec elato nec fucato, luculento tamen,  
& quantum fieri potuit ad Christianam sim-  
plicitatem composito ex Italicâ lingua Latinè  
trans-

P R A E F A T I O.

transcripserim, de fructu adeo non sollicitus,  
ut pollicear mihi deinceps pusillos quoq; Re-  
ligionis nostrę tyrunculos intellecturos, quid  
Angel⁹ custos sit; in terrena videlicet peregrin-  
atione iucundum vehiculum, & obfessæ ani-  
mæ inexpugnabile munimentū; socius in la-  
bore, refrigerium in calore; succursus in pe-  
riculo, leuamen in lapsu, illuminator mentis,  
protector corporis, minister iustitiae, & dispé-  
sator gratiæ; supernarumque omnium benedi-  
ctionum distributor munificentissimus. Pro-  
inde recenti eum timore ac dilectione cultu-  
ros, atque interim illius etiam conserui sui  
memores fore, qui totū sese Angelicæ cōgre-  
gationis obsequio mancipauit. Valete.

Coloniæ Vbiorum, ipsa decolla-  
tionis S. Ioannis Bapt.

1612.

(:) 4 CARMEN